

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Pax u cum uariis

False pacis tres sunt species; est enim pax estimata, pax simulata, pax imperata. Dum enim inter seculares pacem querimus, dum discordes ad concordiam reuocamus, estimant seculares quod pacem inter nos habemus, dum in uestimentis ouium foras eximus et intus quasi lupi rapaces gregem simplicem fratrum lacerando dispergimus, pacem simulamus sed non habemus. Dum uero prelati subditis imperant, et eos discipline legibus non coartant, solum modo pacem docent et non tenent. Estimant pacem seculares, simulant peruersi claustrales, imperant et non tenent tepidi pastores. Sic igitur estimatur a nescientibus, simulatur a non habentibus, imperatur a non tenentibus; sed uere pacis tres sunt species, scilicet pax probata, pax confirmata, pax certa.

Hugo de claustro anime libro III., capitulo IX.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

imperata] impetata B; seculares] secularia C; habemus] habeamus P V¹ V² L¹ L²; foras] fora C, foris P V¹ V² L¹ L²; rapaces] tapaces L²; fratrum] fructum P V¹ V² L¹ L²; legibus] legimus B; tenent] peruersi *add. (del. infra et sub lin.)* C; tepidi *om. (tepidi add. supra lin. in alia manu)* C, lepidi L²; capitulo IX. *om.* C